

illam predicans Evangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei. Postquam acceptimus gratiam pro gratia, carnalia decollantur, spiritualia vivificantur: cessante umbra, adest veritas. Joannes in carcere, Iesus in Galilæa, Iesus in Galilæa: salus in gentibus, prædicans Evangelium regni: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Regno tereno succedit paupertas, paupertati Christianorum tribuitur regnum sempiternum. Unde Dominus dicit: Regnum meum non est de hoc mundo. Omnis enim honor terrenus, spumæ aquæ gracili, vel fumo, vel fomnio comparatur. Sequitur:

Pœnitentiæ, & credite Evangelio. Et præteriens secus mare Galilæe, vidit Simonem & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare. Erant autem piscatores. Et dixit eis Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipsos componentes retia in navi: & statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo, in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. Nam nisi crederitis, non intelligetis. Amaritudinem radicis, dulcedo pomi compensat: pericula maris, spes lucri delectat: dolorem medicinæ, spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, frangit nucem. Pœnitentiæ agit, qui vult aeterno bono adherere. Præconia Christi narrare dignè possunt, qui ad palmam indulgentiæ meruerunt pervenire. Post hæc vocantur milli quatuor piscatores, Simon, & Andreas: Jacobus & Joannes: relictis retibus, patre & nave cum mercenariis. Hæc quadrige vehimur ad æthera, ut Elias: his quatuor angulis constructur prima Ecclesia: his quatuor literis Hebraicis, id est, tetra Grammaton nomen Domini agnoscitur à nobis. Quibus simili exemplo præcipitur: ut audiamus vocem Domini vocantis, & obliviscamur populum vitorum, & domum paternæ traditionis, quæ est stultitia Deo: Et rete aranearum in quo nos velut culices penè lapsos tenebat aër inanis: navem pristinæ conversationis abominantes: pellibus enim mortuis tegitur Adam, qui genitor est noster secundum carnem. Et nunc deposito vetere homine cum actibus suis: novum sequentes hominem, pellibus tegimur Salomonis, quibus sponsa gloriatur se factam esse formosam. Simon, obediens: Andreas, virilis: Jacob, supplantans: Joannes, gratia, in Latino sonat. Quibus quatuor nominibus in agmen Domini conjungimur: obedientia, ut audiamur: virilitate, ut pugnemus: supplantatione, ut perseveremus: gratia, ut conservemur. Nisi enim dominus adificaverit domum, in vanum laborant qui edificam eam. Quæ quatuor virtutes cardinales dicuntur: quia per prudentiam, obediemus: per justitiam, viriliter agimus: per temperantiam, serpentes calcamus: per fortitudinem, gratiam Dei meremur. Curis fratrum occupatus Marcum Evangelistam explanare ut volui non valui: sed illum imitatus summam ejus propria tango: & sicut Ruth cognata Christi spicas & racemos de post metentes, Noëmi orbatæ colligo. Sed utinam ad Booz per hanc penuriam meam convivia pervenirem, furtum laudabile faciens. Marcus dicta Evangelii in semetipso non in semetipsis disponens, ordinem historiarum non secutus, mysteriorum ordinem servat. Unde in sabbatis primam virtutem narrat, dicens:

Et ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos: Et stupebant super doctrinam ejus. Erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut scriba. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene: venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus, dicens: obmutescere, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quanam doctrina hæc nova? Quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilæe: Et protinus egredientes de synagoga venerunt in domum Simonis, & Andree cum Jacobo & Joanne. Recumbebat autem socius Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa. Et accedens, elevavit eam apprehensa manu ejus: & continuo dimisit eam febris: & ministrabat eis. Vespere autem facta, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & demonia habentes. Capharnaum

villa consolationis interpretatur: Sabbatum autem requies. Homo in spiritu immundo, genus humanum est: in quo immunditia regnavit ab Adam usque ad Moysen. Nam qui sine lege peccaverunt, sine lege perierunt: qui sciens sanctum Dei, obmutescere jubetur: dum scientes quidem Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed servierunt potius creaturæ quam creatori, Spiritus discerpens hominem, exiit ab eo. Appropinquante salute, appropinquat tentatio. Pharaon dimissus ab Israël, persequitur Israël: diabolus contemptus, surgit in scandala. Socius Petri febricitans, secunda virtute levatur: & apprehensa manu ejus, sanatur. Febris intemperantiam significat: de qua nos filii synagoga per manum disciplina, & elevationem desiderii sanamur: & hujus qui sanat nos ad vespertum, declinantis à nobis, ministramus voluntati.

Et erat omnis civitas congregata ad jannam: & curavit multos qui vexabantur variis languoribus. Et demonia multa ejiciebat: & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum: Et diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum, ibique orabat: & profectus est cum Simon, & qui cum illo erant. Et cum invenissent eum, dixerunt ei, quia omnes quarunt te. Et ait illis: Eamus in proximos vicos & civitates, ut & ibi prædicem: Ad hoc enim veni. Et erat prædicans in synagogis eorum & in omni Galilæa, & demonia ejiciens. Et venit ad eum leprosus, deprecans eum: & genu flexo, dixit: Si vis, poter me mundare. Iesus autem misertus ejus, extendit manum suam: & tangens eum, ait illi: Volo, mundare. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra & mundatus est: & comminatus est ei, statimque eiecit illum, & dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua qua præcepit Moyses in testimonium illis. At ille egressus, cepit prædicare & diffamare sermonem. Janua regni, moraliter pœnitentiæ est cum fide: quæ operatur salutem languoribus variis. Varia etenim sunt vitia, quibus languescit civitas mundi. Unde leprosus tertia virtute mundatur: deprecans genu flexo Domini voluntatem, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Lepra nostra, peccatum primi hominis est: quæ à capite cæpit, quando regna mundi desideravit. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Unde Giezi avaritiam secutus lepra suffunditur: quæ sacerdoti vero secundum ordinem Melchisedech ostensa: & oblatione mundatur, dicenti: Date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sequitur de propriis Marci.

Ita ut jam non posset manifestè introire in civitatem, sed foris in desertis locis esse, & conveniebant ad eum undique. Certè non omnibus manifestatus est Iesus, qui latis atque planis serviunt laudibus, & propriis voluptatibus: sed his qui foris cum Petro exeunt: & in desertis locis quæ elegit Dominus ad orandum & reficiendum populum, qui deserunt delectationes mundi, & deserunt omnia quæ possident, ut dicant: Portio mea Dominus. Gloria vero Domini manifestatur his, qui conveniunt undique: id est, per plana & ardua: quosque nihil potest à charitate Christi separare.

Caput I I.

Et iterum intravit Capharnaum post dies, & auditum est quod in domo esset: & convenerunt multi, ut non caperet neque ad jannam, & loquebatur eis verbum. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur: & cum non possent offerre eum illi, præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat. Cum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittantur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de scribis, sedentes & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? Blasphematur. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere paralytico, dimittantur tibi peccata, an dicere: Surge, tolle grabatum tuum & ambula? Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et statim surrexit ille, & sublato grabato, abiit inde coram omnibus: ita ut mirarentur omnes.

& honorificarent Deum, dicentes: quia nunquam sic vidimus. Et egressus est rursus ad mare, & omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cum præteriret, vidit Levi Alphaei sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Et factum est cum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis ejus. Erant enim multi qui sequebantur eum. Et scribae & pharisæi videntes quia manducaret cum peccatoribus & publicanis, dicebant discipulis ejus: quare cum publicanis & peccatoribus manducat, & bibit magister vester? Hoc audito, Iesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Et erant discipuli Joannis & pharisæi jejunantes, & veniunt, & dicunt illi: Quare discipuli Joannis & pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant? Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filii nuptiarum quando cum illis sponsus est jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsum: & tunc jejunabunt in illis diebus. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri, alioquin auferet supplementum novum à veteri: & major sifura fit. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin disrumperet vinum utres, & vinum effunderetur, & utres peribunt. Sed vinum novum in utres novos mitti debet. Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sara, & discipuli ejus caperunt prægradi, & vellere spicas. Pharisæi autem dicebant ei: Ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis, quod non licet. Et ait illis: Nunquam legis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esurit ipse & qui cum eo erant: quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus: & dedit eis, & qui cum eo erant. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque Dominus est filius hominis etiam sabbati. Deinde quarta virtute, veniunt quatuor viri portantes paralyticum in grabato: qui turba offensa nudant tectum. Quorum per fidem dimituntur paralytico peccata: qui portat lectum, quo portatus est, & vadit in domum suam coram omnibus. Paralyticus autem typus est torporis, quo piger jacet in mollitia carnis, habens desiderium salutis: & torporis ignavia & duplis cogitationibus, ac si enervatus membris offendit: quem portant quatuor, quas supra diximus virtutes, ad regulas divinitatis & sapientie, in domo carnis Christi patefactas. Cui vice dicitur numeris, portare carnem quæ se portabat: ut per aliam viam cum Magis in suam rediret regionem. Post hæc peccator Levi Alphaei. Levi, appositus interpretatur: qui relicto telonio negotiorum sæcularium, solum sequitur verbum quod dicit: Qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Caput III.

Et introivit iterum in synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam, & observabant eum si sabbatis curaret, ut accusarent illum. Et ait homini, habenti manum aridam: Surge in medium. Et dicit eis: Licet sabbatis benefacere, an malè: animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circumspicens eos in ira, contristatus super cecitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illius. Exeuntes autem pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciunt adversus eum, quomodo eum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba à Galilæa & Judæa secuta est eum: & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. Et dicit discipulis suis, ut navicula sibi deseruirent propter turbam, ne comprimerent eum. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangere, quotquot habebant plagas. Et spiritus immundi cum illum videbant, prociabant ei. Et clamabant, dicentes: Tu es filius Dei. Et vehementer comminabat eis, ne manifestarent illum. Quinta virtute, erat homo manum habens aridam, cui dicitur, Extende manum tuam: qui significat avaros: qui nolentes dare, volunt accipere: prædari & non largiri. Quibus dicitur, ut extendant manus

suas: id est, qui furabatur, jam non furetur: magis autem labore operando manu sua quod bonum est: ut habeat unde communicet indigentibus.

Et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi demonia. Et imposuit Simonem nomen Petrus, & Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi: & imposuit eis nomina boanerges, quod est filii tonitru: & Andream, & Philippum, & Bartholomeum, & Mattheum, & Thomam, & Jacobum Alphaei, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, & Judam Iscariotem, qui & tradidit illum. Est consuetudo scripturæ divinæ allegoricè loqui: & quum aliud dicat, aliud velit intelligi. Quod in Evangeliiis positum frequenter invenies: sed nobis necesse est, ut sic excellentiora sensibus nostris applicemus, ut tamen cuncta secundum historiarum veritatem cernamus: Christus enim solus spiritualiter mons est: mons quidem breviter, à nobis laudatus, sed cælestium rerum qualitate copiosus, ex quo aquæ vivæ decurrunt: lac in parvulorum saluente preparatur: pinguedo spiritualis agnoscitur: & quicquid summe bonum creditur, in monte istius est gratia constitutum: qui est mons montium, & sanctus sanctorum: quos quotidie ad se de presentibus ærumnis invitat. In montem vocatur excelli merito & verbo, ut locus meritis congruat altis, ut essent duodecim cum illo. Speciem Jacob dilexit Dominus, & cum divideret altissimus gentes, & separaret filios Adæ: statuit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël: ut sint ipsi super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israël: quibus data est potestas quam filius à patre accepit secundum carnem, ut opera quæ ipse fecit, & ipsi faciant, & majora horum faciant. Et imposuit Simonem nomen Petrus. De obedientia ascendit ad agnitionem: Qui enim habet dabitur ei, & abundabit: & Jacobum qui supplantata habet tota desideria carnis: & Joannem, qui gratia accepit quod alii per laborem tenent: & imposuit eis nomina boanerges, quod est filii tonitru: quorum trium sublime meritum, in monte meretur audire tonitruum patris, per nubem de filio tonantis: Hic est filius meus dilectus: ut per nubem carnis, & ipsi ignem verbi ac si fulgura in pluviam spargerent in terris: quoniam Deus fulgura in pluviam fecit: ut extinguat misericordia quod judicium inurit. Unde propheta dicit: Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Et Andream, qui virili forma vim facit perditioni suæ, ut responsum mortis in se semper habeat: & anima ejus sit semper in manibus suis. Et Philippum qui est os lampadis: qui illuminare potest ore quod corde concepit. Cui dedit Dominus apertionem oris illuminati. Scimus hunc modum locutionis proprium scripturarum esse divinarum, quando Hebræorum nomina ad aliquod mysterium significationis sunt posita: quod nunc Evangelista ex Dei persona vehementer affectans interserit. Et Bartholomeum, qui filius est suspendentis aquas. Et quis est filius suspendentis aquas, nisi qui dicit: Et mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem? Nomen vero Filii Dei, per pacem & dilectionem acquiritur inimici. Beati enim pacifici, quoniam Filii Dei sunt: & diligite inimicos vestros, ut sitis Filii Dei, & reliqua. Et Matthæum, qui est donatus: cui donatur à Domino ut non solum remissionem peccatorum adipiscatur, sed in numero ascribatur Apostolorum: ut leo & bos simul comedant, & lupus cum agno pascatur. Et Thomam, qui est abyssus. Multi enim profunda scientes Dei, minime profuerunt, ut Paulus ait: Scio nomen, & reliqua: usque, quæ non licet hominibus loqui. Et Jacobum Alphaei, id est, docti vel millefimi. Cujus à latere cadunt mille, & decem millia à dextris ejus. Jacobus alter, cui collectatio non est adversus carnem & sanguinem: sed adversus spirituales nequitias. Et Thaddæum, qui est corculum, id est, cordis cultor: qui conservat cor suum omni custodia. Munditia namque cordis Deus videtur, ut per vitrum mundum forma ostenditur expressa. Et Simonem Cananæum, qui & zelotes. Simon, ponens tristitiam interpretatur. Beati namque qui lugent: quoniam ipsi consolationem querunt. Deslet peccata propria cum David & Maria: slet cum stentibus cum Paulo: & slet multum cum Joanne, qui dicebat: Et ego sletam multum: quia nemo dignus inventus est qui aperiret librum & solveret signacula ejus. Zelotes autem dicitur, quem zelus domus Dei comedit: ut Phi-

nees sacerdos, ut cesset quassatio. Et Judam Iscariotem, qui tradidit illum: qui non delet peccatum suum per penitentiam: nec illud deletur per memoriam. Unde de eo dicitur: Et peccatum matris ejus non deletur. Fiant contra Dominum semper. Judas, confitens vel gloriosus interpretatur. Iscariotis autem, memoria mortis. Confessores sunt multi in Ecclesia superbi & gloriosi: quorum primus Simon Magus, & Arius, & ceteri haeretici: quorum memoria mortalis ideo in Ecclesia celebratur, ut devitentur. Haec sunt duodecim differentiae Apostolorum & praedicatorum: qui terni, quaterni circa tabernaculum Domini excubant: & sancta Domini verba humeris operum propriis portant: ut tabernaculum unum mansionibus multis ad terram reprobationis portent: quos unus exemplum ad timorem humiliat, ut angelos Luciferi illius casus conservat, ut non gloriatur sapiens in sapientia sua: sed qui gloriatur, in Domino gloriatur.

Et veniunt ad domum; & convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare: & cum audissent sui, exierunt tenere eum. Dicebant enim, quoniam in furorem versus est. Et scribae qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant: quoniam Beelzebub habet: & quia in principe demoniorum ejecit demonia. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis, Quomodo potest satanas satanam ejicere: Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare. Et si domus super semetipsam dispartitur, non potest domus illa stare: & si satanas conjuraverit in semetipsum, dispersus est: & non poterit stare, sed finem habet. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliger: & tunc domum ejus diripiet. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemia, quibus blasphemaverunt. Hic proprie Marcus convenire Jesum cum discipulis suis ad domum narrat: Et iterum turbas ut non possent panem manducare, convenisse commemorat. Et discipulos putasse quod in furorem vertetur: quia scribae qui ab Ierosolymis venerant, dicebant: Beelzebub habet. Sicut exaltantur caeli a terra: sic exaltatae sunt viae Domini a viis nostris. Ad hoc namque venit quod audivit & patitur, qui nobis dicit: Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & reliqua, usque, merces vestra in caelis. Domus ad quam veniunt, primitiva est Ecclesia. Turbae quae impediunt panem manducate, peccata & vitia sunt: quia qui manducat indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Unde Dominus in furorem vertitur cum dicit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & reliqua usque, non habebitis vitam in vobis.

Qui autem blasphemaverit in spiritum sanctum, non habet remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti: quoniam dicebant, spiritum immundum habet. Quia non meretur penitentiam agere, ut recipiatur, qui Christum intelligens principem demoniorum esse dicebat: quia nunquam solvitur a carcere, qui quantantem verbi novissimum non solverit ante finem vitae. Quatuor namque partibus denarius vitae fundatur aeterna: ut quod corde credis, ore confitearis: & quod confiteris, opere impleas, & quod impleveris, docere non cesses. Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.

Et veniunt mater ejus & fratres: & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum: & sedebat circa eum turba, & dicunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quarunt te. Et respondens eis ait: Quae est mater mea & fratres mei? Et circumspiciens eos qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater mea est. Ut sciamus nos esse fratres ejus & matrem, si voluntatem patris ejus impleverimus: ut cohaerentes simus ejus qui non in seclibus, sed in factis discernit.

Caput I V.

Et iterum cepit docere ad mare, & congregata est ad eum turba multa, ita ut in navim ascendens, sederet in mari: & omnis turba circa mare super terram erat, & docebat eos in parabolis multa: & dicebat illis in doctrina sua: Audite. Ecce exiit seminum ad seminandum. Et dum seminatur, aliud cecidit secum viam: & venerunt volucres caeli, & comedierunt illud. Aliud vero cecidit super petrosam, ubi non ha-

buit terram multam: & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terrae: & quando exortus est sol, exarsit: & eo quod non habebat radicem, exaruit. Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinae, & suffocaverunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam, & dedit fructum ascendentem & crescentem: & asserat unum tricesimum, & unum sexagesimum, & unum centesimum. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat. Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi (qui cum eo erant) duodecim, parabolam. Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia sunt: ut videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant: ne quando convertantur & dimittantur eis peccata. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc, & quomodo omnes parabolae cognoscantur. Qui seminatur, verbum seminatur. Hi autem sunt qui circa viam, ubi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit satanas & auferit verbum quod seminatum est in cordibus eorum. Et hi sunt similiter qui super petrosam seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud: & non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. Et alii sunt qui in spinis seminantur. Hi sunt qui verbum audiunt: & arumna saeculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiae introeunt suffocant verbum: & sine fructu efficiunt. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt: qui audiunt verbum, & suscipiunt: & fructificant unum tricesimum, unum sexagesimum, & unum centesimum. Ubi locus docendi indicet auditores amaro fuisse ac instabiles. Et ideo in Parabolis loquitur eis, ut requirerent quod non intelligerent: & per Apostolos, quos contemptos habebant dicerent mysterium regni quod ipsi non habebant. Mare, mundum istum debere suscipi, frequenti lectione jam notum est: quod & gustu amarum est, & virtutum fluctibus inquietum est. Sed ab ipso Domino eripi potuissent, qui amara mutat in dulcedinem, tristitia vertit in gaudium: & aegritudines detestabiles, in salutem. Parabola est natura discrepantium rerum sub aliqua similitudine facta comparatio: more providentiae suae, ut qui caelestia capere non poterant, per similitudines terrenas, audita percipere potuissent. magister Graeco vocabulo dicitur similitudo, quando illud quod intelligi volumus, per comparationes aliquas indicamus: sic enim ferreum quempiam dicimus, quando durum ac fortem desideramus intelligi: cum velocem, ventis aut avibus comparamus: Quod in trigesimo, & sexagesimo & centesimo fructu continetur: hoc est, lege, & prophetia, & Evangelio: quod in ore trium testium mysterium regni in monte ostensum, id est, Moyse, & Elia, & Jesu consistat.

Et dicebat illis, Nunquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto: nome ut super candelabrum ponatur? Non est enim aliquid absconditum quod non manifestetur, nec factum est occultum quod non veniat in palam. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et dicebat illis: Videte quid audiat. In qua mensura mens fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis. Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Lucerna verbum est de tribus feminibus. Modius autem tegens, auditus est inobedientium. Candelabrum, Apostoli sunt: quos illuminavit verbum Domini absconditum & occultum. Parabola utriusque feminis est. In palam vero venit, dum a Domino tractatur. Et dicebat: In qua mensura mens fueritis, remetietur vobis. Etenim secundum mensuram fidei, unicuique dividitur intelligentia mysteriorum: & adjicietur, dum scientia etiam adjiciuntur virtutes. Qui enim habet dabitur ei: id est, qui habet fidem, habebit virtutem: Et qui habet opus verbi, habebit intelligentiam mysterii. Et qui non habet contra fidem, deficit virtute. Et qui non habet opus verbi, ejus intelligentia caret. Et qui non intelligit, jam auditum perdidit, ac si non audisset.

Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciatur sementem in terram: & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet & increstat dum nescit ille. Ultra enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et hanc parabolam praedictis consequentem proprie sumpsit Marcus. Scripturas novimus divinas, per similitudines terrenas plerumque caelestia sacramenta monstrare: sicut totum corpus constat Evangeliorum. Regnum Dei, Ecclesia est, quae regitur a Deo, & ipsa regit homines:

homines: & contrarias virtutes & vitia calcet: ut est Centurio habens sub se milites. Homo jactans semen, filius hominis est: semen, verbum vitae: terra, corda humana. Dormitatio hominis, mors est salvatoris. Exurgit semen nocte & die. Post somnum Christi numerus credentium per adversa & prospera magis magisque germinat in fide: & crevit in opere, dum nescit ille. Tropica est ista locutio: & in scripturis divinis creberrima consuetudine feminatur, id est, nescire nos fecit, quis fructum in finem afferat: dum dicit: qui perseveraverit usque in finem, ipse salvabitur. Ultra enim terra fructificat, dum voluntatem nostram Deus expectat, dicens: Si vis pervenire ad vitam, serva mandata. Primum herbam: id est, timorem. Initium enim sapientiae timor Domini. Deinde spicam: id est, penitentiam lachrymola. Deinde plenum fructum in spica, id est, charitatem. Plenitudo enim legis, charitas est.

Et cum ex se produxerit fructum, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei: aut cui parabola comparabimus illud? Sicut granum sinapis quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quae sunt in terra: & cum seminatum fuerit, ascendit & fit majus omnibus herbis: & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves caeli habitare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: sine parabola autem non loquebatur eis. Falsus, est mors vel iudicium, quod fecit omnia, quoniam adest messis: id est, consummatio saeculi: In qua iusti gaudent, qui in lachrymis seminaverunt. Quod semen iterum similitudo granum sinapis: quod minimum in timore est, magnum autem in charitate, quae est major omnibus herbis: quia Deus charitas est. Et, Omnis caro fenem. Et, Qui infirmus est, olera manducet: & fert ramos misericordiae & compassionis. Cujus sub umbra pauperes Christi, qui sunt caeli animalia, delectantur habitare.

Secus autem discipulis suis discebat omnia. Et ait illis in die illa cum sero esset factum: transivimus contra. Et dimittentes turbam, absumunt eum, ita ut erat in navi: & aliae naves erant cum illo. Et facta est procella magna venti: & fluctus mirabat in navim, ita ut impleteretur navis. Illi enim digni erant audire mysteria in penetrali intimo sapientiae: qui remotis cogitationum malarum tumultibus, in solitudine virtutum permanebant. Sapientia enim est in tempore otii. Dehinc ad mare veniunt, & fluctibus turbantur.

Et erat ipse in puppi super cervicea dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet quia perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutescet. Et cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna, & ait illis: Quid timidi estis? Nesciam habetis fidem. Et timerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia ventus & mare obediunt ei? Pappis, mortuus pellibus vivus continet: & fluctus arceat, & ligno solidatur: id est, cruce & morte Domini, Ecclesia salvatur. Cervicalis, corpus Domini est: cui divinitas sicut caput inclinata est. Pappis, initium Ecclesiae est: in qua Dominus dormit morte corporali: Quia nunquam dormiet, qui custodit Israel. Comminatur vento & mari, ut taceat, de quo dicitur: Tu dominaris potestati maris, & reliqua. Ventus & mare, demones & persecutores sunt: quibus dicit, tace: quando compescit edicta regum iniquorum ut voluerit: quia non est hominis ut dirigat gressus suos. Tranquillitas magna, pax Ecclesiae est post pressuram: sive theoria, post actua-lem vitam.

Caput V.

Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. Et exenti ei de navis, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare: quoniam saepe compedibus & catenis vincitus, discipulis catenas, & compedes comminisset, & nemo poterat eum domare. Et semper die ac nocte in monumentis, & in montibus erat clamans, & concidens se lapidibus. Videns autem Jesum a longe, cucurrit & adoravit eum: & clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi Jesu Filii Dei altissimi? Adjuro te per Deum, ne me torques. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Tom. V.

Sexta virtute sanatur, qui in monumentis domicilium habebat: nec catenis ligatus, nec compedibus. Nemo enim domare eum poterat. In montibus & in monumentis erat clamans, & concidens se lapidibus. Hic est desperatissimus gentium populus, quem enumerat Apostolus: Superbus, elatus, immundus, sanguinarius, idololatra, ignominiosus, nec in lege naturae, nec Dei, nec humano timore alligatus.

Et dicit ei: Legio mihi nomen est: quia multi sumus. Et deprecabatur eum multum ne se expelleret extra regionem. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascentis. Et deprecabatur eum spiritus, dicens: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi, introierunt in porcos: & magna impetu grex praecipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari. Qui autem pascebant eos, fugerunt & nuntiaverunt in civitatem, & in agros. Et egressi sunt videre quid esset facti: & veniunt ad Jesum, & vident illum qui a demonio vexabatur sedentem vestitum & sanae mentis, & timerunt. Et narraverunt illis qui viderant qualiter factum esset ei qui demonium habuerat de porcis. Et rogare caperunt eum, ut discederet de finibus eorum. Cumque ascenderet navim, cepit illum deprecari qui a demonio vexatus fuerat, ut esset cum illo. Jesus autem non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit, & miseris sibi. Et abiit, & cepit predicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus, & omnes mirabantur. Et cum transisset Jesus in navi rursus trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare: & venit quidam de archisynagogis nomine Jairus: & videns eum, proci- dit ad pedes ejus, & deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manus super eam: ut salva sit, & vivat. Et abiit eum illo, & sequebatur eum turba multa: & comprimebant eum. Et mulier quae erat in profluvio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpeffa a compluribus medicis: & erogaverat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat: cum audisset de Jesu. Legio, id est decem millia, quae cadunt ad dexteram Patris, quae est Christus. Cui demonio grex porcorum creditur: cui nihil est utile, nisi ut simul in abyso, id est, in inferno, sine respectu misericordiae suffocetur, per impetum immaturae mortis: a quibus fugiunt multi qui pascebant eos. Flagellato etenim stulto, sapiens prudentior fit. Et rogant Jesum, ut exeat a finibus eorum: ut ait Petrus: Exi a me Domine, quoniam immundus sum: Ne tangant arcam Dei, ut Oza. Homo sanatus mittitur in domum suam, & praedicat in Decapoli: dum a Romano nunc regio, Judaei convertuntur, qui in littera tantum pendunt decalogi. Post haec venit Jairus archisynagogus: quia cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet. Jairus, sive illuminans, sive illuminatus, interpretatur: id est, Judaicus populus umbra litterae deposita, spiritu illustratus & illuminatus: proci- dens ad pedes verbi, id est, ad incarnationem Jesu se humilians, rogat pro filia. Qui sibi vivit, alios vivere facit. Abraham & Moyles & Samuel rogant pro plebe mortua, & sequitur Jesus preces eorum. Septima virtute suscitatur mortua. Sed inter viam tangit sibi biam retro mulier sanguinaria: quae profligata cum salute perdidit in medicos nihil proficientes substantiam. Septimo die requievit Deus ab omnibus operibus suis. Quando suscitatur mortua intus, & semiviva foris cum turbis. Fluxus sanguinis sterilitatem facit: unde dicitur ad Ecclesiam gentium: Latere sterilis quae non parit.

Veni in turba retro: & tetigit vestimentum ejus. Dicebat enim: quia si vel vestimentum ejus tetigerit, salva ero. Et confestim siccatas est fons sanguinis ejus: & sensit corpore, quia sanata esset a plaga. Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem quae exierat de illo, conversus ad turbam aiebat: Quis tetigit vestimentum meum? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicit, quis me tetigit? Et circumspiciebat videre eam quae hoc fecerat. Mulier vero tremens & tremens, sciens quod factum esset in se, venit & proci- dit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace: & esto sana a plaga tua. Adhuc eo loquente veniunt ad archisynagogum, dicens: quia filia tua mortua est, quid ultra vexas magistrum? Jesus autem audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere, tantummodo crede. Et non ad-